

dioecesibus catholicis Dalmatiae et Croatiae. — Alterum autem elementum quartae conditionis de perpetuitate (inamovibilitate parochi) non refertur ad parochias regulares, ubi conventus est parochus habitualis; propterea neque in Bosna et Hercegovina eam invenire possumus, quia omnes parochiae adnexae erant mensae conventus ac proinde parochi regulares ad normas constitutionis »Firmandis« omnes erant amovibiles ad nutum cum superiorum religionis, tum episcopi.

Ex omnibus hucusque expositis necessario defluit in Bosna et Hercegovina numquam stationes missionarias fuisse sicut fit in missionibus, sed parochias vere et proprie dictas juxta requisita juris legitima auctoritate episcoporum erectas ac a Franciscanis fundatas; parochos vero semper iisdem juribus et oneribus gaudere sicut et in aliis regionibus, obligatos esse et ad missas pro populo celebrandas etc. — Ergo non fuerunt missionarii.

*d) De conditione presbyterorum saecularium relate ad officium parochiale.*

Uti jam initio innuimus, post interitum regni Bosnae vestigia presbyterorum saecularium disparuerunt. Primus, qui eos in Hercegovina circa a. 1664 resuscitare conatus est, fuit probabiliter fr. Marianus Lišnjić, episcopus makarsken sis. Ipse desiderosus quam majoris auctoritatis et exclusivae jurisdictionis in subiectos sibi parochos loco Franciscanorum nitebatur educare presbyteros, s. d. glagoliticos seu illyricos, ac in parochiis instituere, sed absque successu.<sup>195</sup> Ex relationibus ad S. C. de Propaganda fide scimus omnes parochias in Bosna fuisse franciscanas. Episcopus Ogramić, a. 1682 pro tribus sacerdotibus saecularibus petit licentiam ingrediendi Ordinem Minorum, quia secus in Bosna munus pastorale exercere non possent, cum omnes parochiae ad Franciscanos pertineant.<sup>196</sup> Sic igitur ante saeculum XVIII et institutionem

<sup>195</sup> Arch. Prop., Acta, 1666, v. 35, f. 50r—53v; Acta, 1671, v. 41, f. 263r—264v; Petrović, Popovi glagoljaši, in Napredak 1936, 88.

<sup>196</sup> »... e non potendo (isti sacerdotes) colà havere impiego da esercitare la loro virtù per essere tutte le parochie de frati Minori Osservanti...« Mandić, Acta franc. Herc., I, 229, n. 217.